

sebia, quæ est in cognitione, & dilectione ejus quod semper est, & incommutabiliter manet, quod est Deus. Abstinere vero à malis, est in medio pravæ nationis prudenter versari. Idem quoque inter hæc duo aperte distinguens ait Lib. XII. de Trin. cap. XIV. „Distat ab æternorum contemplatione actio qua bene utimur temporalibus rebus; & illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur: quamvis & illa quæ sapientiæ est, possit nuncupari scientia, ut Apostolus loquitur I. Corinth. XII. ubi dicit: Nunc scio ex parte: quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi. In hoc ergo differentia est, quia ad contemplationem sapientiæ, ad actionem vero scientiæ pertinet. Ecce aperte demonstratum est, in quo differat spiritus sapientiæ, & spiritus scientiæ, scilicet ut sapientiæ divinis, scientiæ humanis attributa sit (5) rebus. Et ut docet Augustinus Lib. XIII. de Trin. cap. XIX. utrumque agnoscimus in Christo, scilicet & rem divinam, & rem humanam: & ideo de ipso habemus sapientiæ, & scientiæ. Cum enim legitur Joan. I. 14. „Verbum caro factum est, in Verbo intelligitur verus Dei Filius; in carne agnoscitur verus hominis filius. Item cum dicitur ibid. „Vidimus plenum gratiæ, & veritatis, gratiam referamus ad scientiæ, & veritatem ad sapientiæ: quia in Christo sapientiæ, & scientiæ fuit plenarie: & nos scientiæ, & sapientiæ de eo habemus qui est Deus, & homo.

In quo differat sapientiæ ab intellectu.
Ostensa differentia inter sapientiæ & scientiæ, quid distet inter sapientiæ & intellectum videamus. In hoc differunt illa duo: quia sapientiæ proprie est de æternis, quæ veritati æternæ contemplandæ intendit; intelligentia vero non modo de æternis est, sed etiam de rebus invisibilibus, & spiritualibus temporaliter extortis. Per eam enim & natura summa quæ fecit omnes naturas, idest divina, & quæ post ipsam sunt spirituales, & invisibiles naturæ, ut Angeli, & omnes animæ bonæ affectiones conspiciuntur. In hoc differentia est ergo, quia sapientiæ tantum Creator inspicitur; intellectu vero & Creator, & creatura quædam. Item intellectu intelligibilia capimus tantum; sapientiæ vero non modo capimus superiora, sed etiam in cognitis delectamur. Sic ergo distingui potest inter illa tria, scilicet scientiæ, intellectum, & sapientiæ. Scientiæ valet ad rectam administrationem rerum temporalium, & ad bonam inter malos conversationem; intelligentia ad Creatoris, & creaturarum invisibilium speculationem; sapientiæ vero ad solius æternæ veritatis contemplationem, & delectationem.

Quod intellectus, & scientiæ, de quibus hic agit, non illa sunt quæ naturaliter habet homo.

ET notandum, quod intellectus, & scientiæ, quæ dicuntur dona Spiritus Sancti, alia sunt ab intellectu, & scientiæ quæ naturaliter sunt in hominis anima. Hæc (6) enim virtutes sunt quæ per gratiam infunduntur animis fidelium, ut per eas recte vivant; illa vero naturaliter habet homo ex beneficio creationis, à Deo tamen. Per has autem virtutes, quæ dicuntur Spiritus Sancti dona, illa naturalia reformantur, atque adjuvantur. Ut, verbi gratia, intellectus naturalis peccato obtenebratus, per virtutem quamdam, & gratiam, quæ dicitur spiritus intelligentiæ, reformatur, atque adjuvatur ad intelligendum: ita & per illam virtutem quæ dicitur spiritus sapientiæ, juvatur, atque erigitur mentis ratio ad contemplationem, & delectationem æternæ veritatis.

Quod sapientiæ ista Dei est, nec est illa quæ Deus est.

ILLud etiam sciendum est, quod sapientiæ de qua nunc disserimus, non est illa Dei sapientiæ, ut ait Augustinus Lib. XIV. de Trin. cap. I. quæ Deus est, sed hominis sapientiæ; verumtamen secundum Deum est, ac verus, & præcipuus cultus ejus est. Si ergo colat mens hominis Deum, cujus ab eo capax facta est, & cuius esse particeps potest, sapiens ipsa fit; & non sua luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens fit. Ista ergo hominis sapientiæ etiam Dei est; verumtamen ita Dei est ut non ea sapiens sit Deus. Non enim participatione sui sapiens est Deus, sicut mentes participatione Dei. Sic etiam dicitur justitia Dei non solum illa qua ipse justus est, sed etiam illa quam dat homini cum justificat impium.

DIVISIO TEXTUS.

POSTquam determinavit Magister de donis, hic ostendit differentiam quorundam donorum ad invicem, quæ maxime convenire videntur, idest sapientiæ, scientiæ, & intellectus: & dividitur in partes duas. In prima assignat differentiam; in secunda removel quædam dubia, ibi: *Et notandum, quod intellectus, & scientiæ quæ dicuntur dona Spiritus Sancti, alia sunt ab intellectu, & scientiæ quæ naturaliter sunt in hominis anima.* Circa primum duo facit. Primo assignat differentiam inter scientiæ, & sapientiæ; secundo inter sapientiæ & intellectum, ibi: *Ostensa differentia inter sapientiæ, & scientiæ.*

Et notandum &c. Hic removel quædam dubia: & primo circa sententiæ, & intellectum; secundo cir-

(5) Al. rebus, ut docet Augustinus. Utrumque &c. (6) Al. autem.

ARTICULUS I.

Utrum vita convenienter dividatur per activam, & contemplativam.

2. 2. quæst. CLXXIX. art. 1. & 2.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod vita inconvenienter dividatur per activam, & contemplativam. Vivere enim, ut dicit Philosophus in II. de Anima, text. xxxvii. viventibus est esse. Sed contemplativum, & activum non ostendunt differentiam in essendo, sed magis in operando. Ergo non sunt differentia vitæ.

2. Præterea, Philosophus in II. de Anima, text. com. xvi. dicit: *Vivere secundum hoc principium, scilicet animam vegetabilem, inest viventibus.* Sed anima vegetabilis nullo modo participat contemplationem, neque etiam agere ipsius est, sicut dicitur in VI. Ethic. cap. xiiii. vel xvi. Ergo vita inconvenienter dividitur per activam, & contemplativam.

3. Præterea, in Lib. de Causis prop. xviii. dicitur, quod vita est continuus motus ab ætre sempiterno. Sed motus operationem importat. Cum ergo omnis operatio sit actio quædam, videtur quod omnis vita sit activa; & ita non erit differentia vitæ, activæ.

4. Præterea, Philosophus in II. de Anima, text. xiiii. dividit vivere in quatuor, scilicet nutrire, sentire, & moveri secundum locum, & intelligere. Ergo insufficienter dividitur per has duas differentias activum, & contemplativum.

5. Præterea, Augustinus in Lib. de Civ. Dei (Lib. XIX. cap. iiii.) apponit tertium membrum, scilicet compositum ex utroque. Ergo videtur quod insufficienter dividatur per activum, & contemplativum.

Sed in contrarium sunt multæ auctoritates Sanctorum, quæ dicunt per Martham, & Mariam Luc. x. signari duas vitas, activam, & contemplativam. Præterea, Vita hominis est secundum id à quo homo est homo. Hoc autem est intellectus. Cum ergo intellectus dividatur in activum, & contemplativum, idest speculativum, & practicum, videtur quod humana vita in hæc duo dividi debeat.

Præterea, secundum Philosophum in IX. Ethic. cap. ult. illud dicitur esse uniuscujusque vita in quo maxime studet, sicut militis in pugnando, & ebriosis in potando: unde & in talibus ad amicos convivere volunt. Sed hoc in quo maxime studet quis, est illud quod finem suæ vitæ ponit. Cum igitur finis humanæ vitæ felicitas ponatur, quæ secundum Philosophos in civilem, & contemplativam dividitur, ut patet in X. Ethic. cap. vii. & viii. vel xi. & xii. videtur etiam quod humana vita in activam, & contemplativam dividi debeat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod nomen vitæ ex hoc sumptum videtur quod aliquid à seipso potest moveri: & ideo ex hoc dicta sunt primo aliqua vivere, quia visa sunt à seipsis moveri, sicut plantæ per motum augmenti, & animalia per motum insuper localem; ea vero quæ visa sunt non moveri, nisi ab aliis, dicta sunt mortua, vel vita carentia, sicut lapides, & ligna. Unde etiam per quamdam

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. vivee. (2) Al. Quantum. (3) Al. deest ejus.

transumptionem ea quorum principium motus in ipsis est, dicuntur viventia, quamvis non seipsa moveant, sicut aquæ scaturientes impetu sui motus à terra dicuntur (1) vivæ; aquæ autem immobiles congregatæ in lacunis, dicuntur aquæ mortuæ. Ulterius, nomen vitæ attributum est omnibus operationibus quas aliquis à seipso exercet non ab alio motus, etiam si motus non sint, sicut nomen motus ad operationem quamlibet solet transferri, sicut dicitur sentire, & intelligere motus: & secundum hoc non solum quæ moventur à seipsis, vel per augmentum, vel localiter, dicuntur vivere, sed omnia quæ ex seipsis appetunt, sentiunt, intelligunt: hæc enim dicuntur operationes vitæ. (2) Quamvis autem plures dictarum operationum in aliquo sint, ex illa tamen dicitur vita ejus quæ principalis in ipso est; sicut animalium vita dicitur in sentiendo, quamvis etiam nutriantur; & hominum in intelligendo, quamvis etiam sentiant; & hoc non solum est accipiendum secundum naturales potentias, sed etiam secundum habitus superadditos. Unde vita uniuscujusque hominis dicitur in hoc consistere in quo summum studium impendit & curam, ut dicit Philosophus in IX. Ethic. & sic accipiendo vitam, dividitur in activam, & contemplativam. Cum enim vita humana ordinata (quia de inordinata non intendimus, sicut est voluptuosa, quæ nec humana est, sed bestialis) consistat in operatione intellectus, & rationis; habeat autem intellectiva pars duas operationes, unam quæ est ipsius secundum se, aliam quæ ipsius est secundum quod regit inferiores vires; erit duplex vita humana: una quæ consistit in operatione, quæ est intellectus secundum seipsum, & hæc dicitur contemplativa; alia quæ consistit in operatione intellectus & rationis, secundum quod ordinat, & regit, & imperat inferioribus partibus, & hæc dicitur activa vita. Unde secundum Philosophum in VI. Ethic. cap. v. & vi. agere proprie dicitur operatio, quæ est à voluntate imperata, in ipso operante consistens, non in materia exteriori transmutandam transiens: quia hoc esset facere, quod est operatio mechanica artis. Morales enim virtutes, quæ in vita activa perficiunt, circa agibilia dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod essentia rei ex operatione ipsius cognoscitur: & ideo ex operationibus, quibus per prius convenit nomen vitæ, translatum est nomen ad ipsum esse, secundum quod aliis est effectus talium operationum. Ad secundum dicendum, quod secundum animam vegetabilem dicitur esse vivere, non quasi in operationibus ejus tantum vita consistat, sed quia operationes (3) ejus sunt primæ operationes vitæ in nobis; per quem modum dicitur secundum tactum inesse sensus animalibus. Ad tertium dicendum, quod illa auctoritas intelligenda est de vita qua corpora cælestia ponebantur à quibusdam vivere velut ex se mota: quam opinionem videtur sequi ille qui librum illum condidit. Ad quartum dicendum, quod Philosophus distinxit vitam secundum quod est communis omnibus viventibus; sed nunc loquimur de divisione vitæ humanæ.

Ad quintum dicendum, quod illud tertium membrum apponitur ab Augustino non quantum ad diversitatem vitæ, sed magis quantum ad diversitatem viventium. Quidam enim sunt qui exercitiis acti-

ff 2

ti-

tivæ insistent principaliter, quamvis etiam quandoque contemplationis actus exquantur: quidam vero sunt qui postpositis curis activæ, principaliter contemplationi student: alii vero qui circa utrumque insistent. Sunt nihilominus & quædam operationes quæ utrumque requirunt, sicut prædicatio, & doctrina, quæ à contemplatione inchoat in actionem terminant, sicut à causa in effectum procedentes: & hoc medium in extremis includitur.

ARTICULUS II.

Utrum vita contemplativa consistat tantum in actu cognitivæ.

2. 2. quæst. CLXXX. art. 1.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod vita contemplativa consistat tantum in actu cognitivæ. Quia contemplationis finis est veritas. Sed veritas tantum ad cognitionem pertinet. Ergo vita contemplativa tantum in operatione cognitivæ consistit.

2. Præterea. Vita contemplativa à Sanctis otium dicitur: & Philosophus etiam in X. Ethic. cap. vii. vel xi. dicit ipsam vacationem. Sed voluntas est vis motiva. Cum ergo motus otio, & vacationi repugnet, videtur quod vita contemplativa non consistat in actu affectivæ, sed solum in actu cognitivæ.

3. Præterea. Proportionantur operationes habitibus. Sed dona quæ perficiunt in vita contemplativa tantum ad cognitionem pertinent, scilicet sapientia, & intellectus. Ergo vita contemplativa consistit tantum in cognitione.

Sed contra. Isidorus dicit in Lib. differentiarum Lib. II. num. 29. quod contemplativa vita est quæ vacans ab omni negotio, in sola Dei dilectione desigitur. Sed dilectio ad affectivam pertinet. Ergo vita contemplativa non consistit tantum in cognitione.

Præterea. Gustare ad affectum pertinet, sicut videre ad intellectum. Sed Gregorius dicit super Ezech. homil. lxxi. quod contemplativa vita sapore intimo venturam jam requiem degustat. Ergo contemplativa vita non consistit tantum in cognitione.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod consistat in operatione rationis. Vita enim contemplativa est vita humana. Sed humana vita est secundum operationem humanam. Cum ergo operatio humana sit secundum rationem, à qua dicitur homo, videtur quod vita contemplativa consistat in operatione rationis principaliter.

2. Præterea. Vita contemplativa præcipue consistit in cognitione divinorum. Sed invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognoscuntur: Roman. i. cognoscere autem ex aliquibus alia rationis est. Ergo vita contemplativa præcipue consistit in operatione rationis.

3. Præterea. Richardus de Sancto Victore dicit in Libro de contemplatione 1. part. cap. v. *Contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur: nunc de inferioribus ad summa ascendit; nunc de superioribus ad ima descendit; & nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem discurret; nunc à majori, nunc à minori argumentum trahit.* Sed iste discursus videtur ad rationem pertinere. Ergo vita contemplativa principaliter in actu rationis consistit.

Sed contra. Bernardus in Lib. II. de consideratione cap. 11. dicit, quod *contemplatio in hoc distat à consideratione, quia consideratio ad inquisitionem magis se habet, contemplatio autem est verus, certusque animi intuitus.* Sed inveni est intellectus, inquirere autem rationis. Ergo contemplativa vita non consistit in acta rationis, sed intellectus.

Præterea. Secundum Philosophum in X. Ethic. cap. viii. vel xii. secundum vitam contemplativam communicamus cum Deo. Non autem communicamus cum eo secundum inquisitionem rationis, sed magis secundum intellectus intuitum. Ergo contemplativa vita non consistit in actu rationis, sed intellectus tantum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod omnis actus intellectus ad vitam contemplativam pertineat. Sicut enim se habet vita activa ad agibilia, ita se habet contemplativa ad contemplabilia. Sed omnes actus circa agibilia ad vitam activam pertinent. Ergo omnes actus intellectus circa intelligibilia ad contemplativam vitam pertinent.

2. Præterea. Vita contemplativa secundum Philosophum in X. Ethic. cap. vii. in Philosophiæ consideratione consistit. Sed Philosophia est de omnibus entibus. Ergo omnis operatio intellectus pertinet ad vitam contemplativam, cum intellectus non sit non entium.

3. Præterea. Richardus de Sancto Victore, ubi sup. ponit sex species contemplationis. Prima est, quando sensibilia per imaginationem considerantes, in eis divinam sapientiam admiramur. Secunda est, quando earum rationes inquiremus. Tertia, quando ex visibilibus in invisibilia ascendimus. Quarta, quando, remota imaginatione, in solis intelligibilibus versamur. Quinta, quando ea consideramus quæ ex divina revelatione cognoscimus, non humana ratione. Sexta, quando ea consideramus quibus etiam humana ratio contradicere videtur. Sed in his speciebus comprehenditur omnis operatio intellectus. Ergo omnis operatio intellectus ad vitam contemplativam pertinet.

Sed contra. Isidorus in Lib. de sum. Bono Lib. III. cap. xv. *Contemplativa vita mundo renuntians, soli Deo vivere delectatur.* Sed non vivit soli Deo, nisi quando Deum solum cogitat. Ergo non omnis operatio intellectus ad contemplativam vitam pertinet.

Præterea. Circa idem videtur esse vita contemplativa, & felicitas contemplativa. Sed felicitas contemplativa est tantum in consideratione nobilissimi intelligibilis, quod constat Deum esse, secundum Philosophum in X. Ethic. ut sup. Ergo vita contemplativa in sola Dei consideratione consistit.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod vita, secundum quod nunc loquimur, consistit in operatione cui aliquis principaliter mancipatur: cuius ratione omnia quæ impedire possunt, dimittit; quæ autem adjuvant, quærit, & prosequitur. Hoc autem non potest esse nisi per voluntatem, cuius est inter opera humana unum præ aliis acceptare, quidquid sit illud. Voluntas autem cum sit motor omnium potentiæ animæ, oportet quod ad objecta, & actus omnium potentiæ se habeat, prout habent rationem boni: quia unusquisque actus debitus cuiuscumque potentiæ est bonum ejus. Et ideo vita

vita contemplativa consistit in actu cognitivæ virtutis præacceptatæ per affectivam. Sed cum operatio sit quodammodo media inter operantem & objectum, velut perfectio ipsius operantis, & perfecta per objectum, à quo speciem recipit; ex duplici parte potest operatio cognitivæ affectari. Uno modo in quantum est perfectio cognoscentis; & talis affectatio operationis cognitivæ procedit ex amore sui: & sic erat affectio in vita contemplativa Philosophorum. Alio modo in quantum terminatur ad objectum; & sic contemplationis desiderium procedit ex amore objecti: quia ubi amor, ibi oculus: & Matth. vi. 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum:* & sic habet affectionem vita contemplativa Sanctorum, de qua loquimur. Sed tamen contemplatio essentialiter in actu cognitivæ consistit, præexigens charitatem ratione prædicta: unde Gregorius dicit super Ezech. hom. xiv. *Contemplativa vita est charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere: ita ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat.*

Ad primum igitur dicendum, quod finis contemplationis, in quantum contemplatio, est veritas tantum; sed secundum quod contemplatio accipit rationem vitæ, sic induit rationem affectati, & boni, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod voluntas non solum est motiva quantum ad exteriores motus qui vacationi repugnant, sed etiam motum interiorum, etiam ipsius intellectus: qui quidem motus æquivoce dicuntur, ut patet in III. de Anima text. xxviii. sunt enim actus perfecti; & ideo magis assimilantur quieti quam motui, & propter hoc qui operatur secundum intellectum, vacare dicitur ab exteriorum actione, ut patet in prædicta auctoritate.

Ad tertium dicendum, quod habitus contemplativæ, quamvis sit in parte cognitivæ, tamen possunt eorum actus à voluntate imperari, vel acceptari; & sic in eis vita contemplativa consistit.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod vita contemplativa consistit in illa operatione quam homo præ aliis acceptat: unde habet rationem finis respectu aliarum humanarum operationum, quia aliæ propter ipsam exercentur. Inquisitio autem rationis sicut à simplici intuitu intellectus progreditur (quia ex principiis quæ quis intellectu tenet, ad inquisitionem procedit) ita etiam ad intellectus certitudinem terminatur, dum conclusiones inventæ in principia resolvuntur, in quibus certitudinem habent. Et ideo vita contemplativa principaliter in operatione intellectus consistit; & hoc ipsum nomen contemplationis importat, quod visionem significat. Utitur tamen inquisitione rationis contemplativus, ut deveniat ad visionem contemplationis, quam principaliter intendit; & hoc inquisitio secundum Bernardum loc. cit. dicitur consideratio.

Ad primum igitur dicendum, quod homo, in quantum est contemplativus, est aliquid supra hominem: quia in intellectu simplici visione continuatur homo superioribus substantiis, quæ intelligentiæ, vel Angeli dicuntur, sicut animalia continuantur hominibus in vi æstivativa, quæ est supremum in eis, secundum quam aliquid simile operibus rationis operantur.

(1) Al. vita, & mot vitæ.

Ad secundum dicendum, quod quamvis creaturæ visibiles sint via deveniendi in contemplationem divinorum, tamen in hac (1) via non consistit principaliter contemplatio, sed in termino vitæ, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod Richardus non intendit quod in illis discursibus principaliter consistat vita contemplativa, sed quia utitur eis ad suum finem, sicut dictum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod contemplativa Sanctorum præsupponit amorem ipsius contemplati, ex quo procedit. Unde cum vita contemplativa consistat in operatione quam quis maxime intendit, oportet quod sit circa contemplationem maxime amati: hoc autem Deus est: unde principaliter consistit in operatione intellectus circa Deum: unde Gregorius super Ezech. loc. cit. dicit, quod contemplativa vita ad solum videndum principium anhelat, scilicet Deum. Nihilominus tamen & contemplativus considerat alia, in quantum ad Dei contemplationem ordinantur sicut ad finem, puta creaturas, in quibus admiratur divinam majestatem, & sapientiam, & beneficia Dei, ex quibus inardescit in ejus amorem; & peccata propria, ex quorum ablutione mundatur cor, ut Deum videre possit. Unde & nomen contemplationis significat illum actum principalem, quo quis Deum in seipso contemplatur; sed speculatio magis nominat illum actum quo quis divina in rebus creatis quasi in speculo inspicit. Et similiter etiam felicitas contemplativa, de qua Philosophi tractaverunt: in contemplatione Dei consistit: quia secundum Philosophum X. Ethic. cap. vii. vel x. consistit in actu altissimæ potentie quæ in nobis est, scilicet intellectus, & in habitu nobilissimo, scilicet sapientia, & etiam objecto dignissimo, quod Deus est. Unde etiam Philosophi ultimum tempus vitæ suæ reservabant, ut dicitur ad contemplandum divina, præcedens tempus in aliis scientiis expendentes, ut ex illis habiliores fierent ad considerandum divina.

Ad primum ergo dicendum, quod actus vitæ activæ non habent ex seipsis ordinem, sicut actus vitæ contemplativæ: unde non potest dici, simpliciter loquendo, quod consistat in aliquo illorum principaliter; sed quoad aliquem consistit principaliter in hoc in quo ille magis exercitatur; sicut quidam magis insistent operibus justitiæ, quidam vero operibus temperantiæ, & sic de aliis.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus ibi accipit Philosophiam strictè pro sapientia de divinis, quæ speciali nomine Philosophia prima dicitur.

Ad tertium dicendum, quod quamvis illa consideret interdum contemplativus, non tamen in his principaliter consistit contemplativa vita.

ARTICULUS III.

Utrum vita activa consistat tantum in his quæ sunt ad alterum.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod activa vita non consistat principaliter in his quæ ad alterum sunt. Vita enim activa ordinatur ad contemplativam, in quantum disponit hominem ad contemplationis actum. Sed per virtutes quæ ordi-